

„ nici , hoc est , qui dum ægroti lecto decumbunt baptizati  
 „ sunt ; *Concil. Neocasar. c. 12. dist. 57* , quod primis sæ-  
 „ culis sæpe contigit , ubi multi , ut impune peccare pos-  
 „ sent , non nisi paulo ante vitæ finem baptizari voluerunt ,  
 „ quorum fides , probitasque merito suspecta . Porro si non  
 „ nomine tenus Christiani sumus , Ecclesiæ matris nostræ ju-  
 „ dicio iudicio omnium Philosophorum Mundi prævalere  
 „ debet , illudque melius , & utilius judicandum , quod melius  
 „ & utilius iudicavit Ecclesia .

§. XX. Si duæ concurrunt propositiones , quarum una  
 favet Legi , & hominem removet a periculo eternæ damna-  
 tionis , altera libertati favet , & hominem conjicit in evi-  
 dens periculum damnationis æternæ , edisserant nobis Philo-  
 sophi quænam est eligenda ? probabilior , & tutior profecto ;  
 talis autem est propositio nostra ; hæc igitur Philosophorum  
 commenta merito præferenda . Primo enim cum infantes , &  
 parvuli , ut docent filii Medicorum , pluribus , & gravioribus  
 relative morbis expositi sint , quam ipsi adulti , nec pro-  
 pter ætatem , diligentæ Medicorum subijci possint , tutius  
 profecto in tuto illorum salutem per fidei Sacramentum  
 ponere , quam adultam ætatem expectare cum manifesto  
 periculo damnationis æternæ tot infantium , qui ad adultam  
 ætatem non perveniunt . Secundo , si ætas adulta ad susci-  
 piendum Baptismi Sacramentum expectanda foret , pauci  
 baptizarentur , sed male instituti , aut sæculi voluptatibus  
 dediti , ne cito vale dicerent carni , & sanguini , Baptismum  
 suum ad mortem usque differrent : quod si nunc pauci sal-  
 vantur , in Philosophorum hypothese vel nulli , vel paucissimi  
 salvarentur . Sed inanis ista ævi nostri philosophia , non ad  
 utilitatem , sed ad veram perniciem humani generis nata ,  
 Christianæ Religionis extinctionem molitur ; quapropter hoc  
 potissimum tempore meminisse debemus Apostoli verba ad  
 Coloss. II. *Videte , ne quis vos decipiat per philosophiam , &*  
*inanem fallaciam .*